

68.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

VOMITV

QVAM

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNNO

ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICORVM SENIORE
ET h. t. DECANO

PRO

GRADV DOCTORALI

LEGITIME IMPETRANDO

Ad d. Mart. Anni MDCCXXXIII.

PVBLICE CONTRA ERVDITORVM DVBBIA

DEFENDET

AVTOR

MATTHIAS PHILIPPVS RITTER

SVSATO - WESTPHALVS.


HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Typis IOH. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.



10773

Pathol. spec.
694, 7

A decorative rectangular border with a repeating floral or scrollwork pattern surrounds the central text.

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885



DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

DE

VOMITV.

§. I.



De Vomitu, græcis ἐμετος dictum intelligo excretionem contentorum ventriculi mobilium per os, a spasmodica ejus contractione dependentem.

§. II.

Initium spasmi a pyloro factum observavit RVD-BECKIUS *de Vas. serof. observ. 20.* in cane vivo dissecto systole dein totius ventriculi ad orificium sinistrum continuante.

A 2

§. III.

§. III.

Permulum conferunt ad hunc ventriculi motum depravatum (§. 1. 2.) abdominis muscoli, qui contracti premunt partes adjacentes, hæ vero cum subsequentes iterum comprimant, sequitur ut ex hac ad ventriculum usque continuata actione ejusdem motus constrictorius fiat vehementior.

§. IV.

Neque excludendus est motus intestinorum peristalticus perversus, mediante quo non in intestinis solum contenta, præcipue acria ad ventriculum promotæ, eundem ad constrictionem irritant; sed & ipse motus, imprimis ad œsophagum continuans ad emesinsum confert symbolum.

§. V.

Oriuntur, sicuti ex physiologicis constat, tam ventriculi & abdominis musculorum coarctatio, quam intestinorum motus peristalticus retrogradus (§. 3. 4.) ab influxu spirituum animalium in has partes majori & vitiato 1) vel ventriculi & partium vicinarum 2) vel contentorum culpa proveniente, vel 3) in partibus magis remotis per consensum orto.

§. VI.

Peccat ventriculus ipse 1) orificio ejus sinistro vel ex parte, vel plane clauso; hoc vero casu non vomitus, sed rejectio tantum esculentorum ex œsophago contingit, observante hoc WILLISIO *pharmac. rat. part. 1. Sect. 2. cap. 1. p. 17.* in viro quodam, qui simulac alimentis œsophagum repleverat, eadem per os reddidit

didit, & licet præ fame modo fuerit mortuus, mediante tamen instrumento, quo cibi in ventriculum sunt detrufi, per longum tempus fervatus est vivus 2) Situ ejus mutato, teste SENNERTO *Instit. L. 2. p. 2.* in studiofo quodam cujus diaphragma vulneratum ventriculum ad thoracem retraxit, qui & motibus emeticis mortem intulit 3) pyloro scirrho vel aliis excrescentiis & tumoribus obftructo, id quod annotavit WILLISIVS *pharmac. rational. part. 1. Sect. 2. Cap. 1. p. 55.* & HENR. MEIBOMIVS *in Diff. de Vomitu pylorum nigricantem & hinc inde arrofum vidit, parvis inæqualibus protuberantiis hinc inde apparentibus, venis circumcirca lividis, ut cancrofi quid subeffe pateret, appofitis infuper pyloro tribus tumoribus ovi columbini magnitudine illum valde coarctantibus.* 4) Si aliis morbis idiopathicis fuerit affectus, ut ulcere, testante HILDANO *Cent. 5. obs. 66. & Miscell. Nat. curios. decur. 1. an. 3. obs. 94.* Inflammatione, quæ febri ardenti sæpe junctâ in abfcessum transit, & fic pus in ventriculum erumpit. Vid. JOD. LOMMII *Medic. obs. L. 3. p. 138.* & F. HILDAN. *Cent. 4. obs. 28.* Herpete, observante PANAROL. *pentec. 1. obs. 43.* in quodam, qui post prandium & cœnam quotidie vomitu afflictus atrophia obiit; Steatomate, quod ovi anferini magnitudinis annotavit CAMERARIUS apud SCHENK. *L. 3. f. 380.*

§. VII.

Partes quoque ventriculo vicinæ (§. 5. n. 1.) diverfimode vitiatæ vomitus cauffam præbere valent: Sic ab intestinis flatibus & fæcibus distentis & ventriculum

comprimimentibus vomitum observavit DODONÆVS
Obs. Med. 37.

§. VIII.

A vesicula fellis disrupta vomitum quotidie vexantem annotat GEORG. BERTINVS apud SCHENK: *L. 3. p. 460.* in nobili quodam ingentem bilis copiam rejiciente. Ab insertione propaginis cholidochi in ventriculi fundum nihilominus emesis oriri potest, bilis enim immediate ventriculum ad constrictionem stimulare & vomitum producere valet biliosum.

§. IX.

A pancreate indurato vomitum productum & quotidie post prandium & cœnam urgentem annotat DOMINIC. PANAROLVS *pentec. 1. obs. 44.* in vetula cujus pancreas lapideam fere acquisiverat consistentiam.

§. X.

Ex hepate & liene scirrhis undique refertis vomitum cruentum lethalem recenset JOH. BOHNIVS in *Diss. de Vomitu*, ubi in cachectici cadavere dissecto hæc viscera plane fere obstructa & sanguinis circulum interceptientia observat, vasis splenicis, ventriculo & œsophago stagnante sanguine redundantibus, cordis vero ventriculis & vasis majoribus evacuatis.

§. XI.

In ventriculo contenta (§. 5. n. 2.) excedente quantitate præsentia ad vomitionem conferunt ventriculum ultra euphoriam distendendo, quo factò fibræ nimis extensæ ex vitalitate pristinum iterum occupant statum & sic alimenta majori copia ingesta versus ar-
ctius

ctius coguntur spatium, atque per os rejiciuntur; quod & animadvertimus in iis infantibus, quorum ventriculus pro recipienda decenti lactis quantitate justo minor reperitur; Lac enim, quod ingerunt, subinde ex ore regurgitat.

§. XII.

Inter humores ventriculo inhærentes & eundem irritantes referri potest 1) Bilis, quæ copiose collecta & a quacunque causa ad ventriculum delata stimulo suo crebriores producit vomitus biliosos, uti in febribus cholericis, tertianis interdum & iracundia paulo vehementiori observare licet 2) Pituita viscida & acris ductulos glandularum obstruens & papillas nerveas stimulans & lymphæ & spirituum animalium affluxum auget; glandulæ vero intumescentes extendunt fibras, quarum præternaturalem distensionem subsequitur contractio (§. II.) 3) Sanguis vel copia excedens, vel circulo suo aliis in partibus sufflaminato, ubi subsistens ferum blandum dimittit, acredinem inducit & ad ventriculum, si debiliora contineat vasa regurgitat, eademque p. n. distendit & ad sui transitum apta reddit, atque hoc modo in ventriculi cavitatem delapsus magna interdum quantitate per vomitum eructatur 4) Humores acidi, pontici, in duodeno cum bile permixti dant vomitus viridescentes, dentes interdum stupefacientes, id quod præsertim hypochondriacis, quartanariis & melancholia affectis supervenit.

§. XIII,

De improvide deglutitis & pylorum obstruentibus
tran-

transitumque chymi in duodenum cohibentibus varia reperiuntur, ut nuclei, nummi, observante hoc KERKRINGIO *Spicileg. anat. Cap. 1.* in puella, cujus ventriculi orificium dextrum per improvide deglutitum nummum firmiter fuerat obstructum, ut non solum omnis transitus præcluderetur, sed & eminentiæ nummi acutæ continuo stimulo pylorum irritantes vomitus inducerent lethales.

§. XIV.

Venenorum præcipue acriorum, vel aliorum, quæ virtute acri & paulo sulphurea gaudent, assumptorum causa vomitus excitatos ipsa comprobata experientia, inter quæ Arsenicum & Mercurius sublimatus vomitum atrocissimis sæpe doloribus & convulsionibus junctum inferunt & gravissimam inflammationem, quam gangræna & sphacelus ipse subsequuntur, producant.

§. XV.

Nicotianæ decoctum emetica vi gaudere comprobata Historia DIEMERBROCKII 40. p. 249. de milite peste laborante & eodem restituto. Ova barbi piscis & fungos venenatos eadem virtute gaudere referunt TIMÆVS a GULDENKL. L. 3. Cap. 7. & F. HILDAN. Cent. 4. obs. 35. atque SPERLINGIVS in *Diss. de Vomitu simplici* recenset vomitum pertinaciter affligentem medicamento rodente concitatum, in misero quodam, in quo post mortem prope os ventriculi, in supremo exteriori latere foramen nummum æquans fuit repertum.

§. XVI.

Per nervorum consensum (§. 5. n. 3.) vomitus haud-
ra-

raro contingunt sat pertinaciter affligentes, quales productos observamus v. g. ab irritatione faucium digito tantum vel alio irritante instrumento instituta, quod ventriculo nimium repleto vel ad vomitum modo disposito facilius succedit; a graviore capitis contusione & profundis vulneribus; a renibus calculo & arenulis obsessis MEIBOMIUS in Diss. de Vomitu primo haerendos vomitus inductos observavit, quibus deinde cessantibus oesophagum ita commotum, ut quasi exilire ex ore conaretur, & frequenti deglutitione ab aegro ad quietem esset deducendus.

§. XVII.

Conducit ad Vomitum Temperamentum 1) cholericum, ob partium salinosulphurearum abundantiam & acrimoniae irritantis faciliorem extricationem 2) Puitosum, ob seri visciditatem & lentorem quem tardior humorum circulus subsequitur, quo praesente particulae acriores in massa sanguinea retinentur, vasa capillaria obstruuntur & excretionem impediunt, 3) Sanguineum propter majorem sanguinis copiam, quam generat, ad plethoram proclive est, ex qua deinde diversae obstructions ne regurgitatio una cum sanguinis ad ventriculum oriuntur, qui impulsu vehementiori praesente *διαίρεσις* & vomitus cruenti ansam praebet; 4) Melancholicum, quoniam fovet humores acidos particulis grossioribus terrestribus refertos, qui ad circulationem minus apti sibi obicem ponendo facile acredinem inducunt. (§. 12, n. 1. 2. 3, 4.)

§. XVIII.

Vomitui quidem obnoxius est sexus uterque, praenobiliori tamen imprimis sequior; praeter enim tene-
B
rio-

riorem & sensibiliorem corporis texturam, qua motu est facilis, gaudet temperamento maximam partem phlegmatico (§. 10. n. 2.) mediante quo ad varias feri stases est pronus, & licet per menstruum sanguinis fluxum permulto sanguine privetur, ex levi tamen diætæ errore hujus progressus retardatur vel plane cessat & hoc modo sanguis abundans varias producere potest congestiones, quæ, si in ventriculi vicinia contingunt, sanguis ibidem subsistens fit acris, vasa extenduntur, spirituum animalium influxus fit auctior & ventriculus irritatus ad contractionem redditur aptus. In gravidis etiam, propter humores versus ventriculum redundantes, frequenter vomitus observantur, qui cacochymia præsentè serosa frequentiores redduntur.

§. XIX.

Juniores ad vomitum faciliores sunt quam seniores robustioribus fibris instructi. In ætate infantili & puerili propter ἀδδὴφασγίαν, dum cibi copiosi prioribus nondum concoctis assumuntur, ventriculus non modo nimis dilatatur (§. 11.) & vesicula fellis compressa majorem bilis copiam in duodenum effundit; (§. 12. n. 1.) sed & tota massa sanguinea cruditatibus fit referta, quæ ad ventriculum delatæ vomitus causam multifarie præbere possunt.

§. XX.

Si vomitus periodice affligat & stasis temporibus redeat, oritur quasi dispositio & vomendi consuetudo, quo factò tales homines fiunt ἐνέμετοι, ut ex levi etiam errore vomitu crucientur, & ne alimenta quidem ad subsistentiam corporis maxime necessaria retineri queant, unde

unde in atrophiam incidunt &, nisi tempestive auxilium afferatur, chronico & lento morbo, viribus plane exhaustis diem obeunt supremum.

§. XXI.

Cum in iis, quibus vitæ genus est sedentarium & lautum, partes acriores salino-sulphuræ & viscidæ per insensibilem transpirationem, non tam facile quam in laboriosis secessum acquirant, massa sanguinis augeatur & lentorem induat, patet (§. 12.) quod illi præ his ad vomitum magis inclinent.

§. XXII.

Hic quoque non prætereunda erit *ιδιοσυγκρασία*, qua nonnulli ex oblatione vel etiam tantummodo ex recensione rerum nauseam inducentium vomitum sustineant satis vehementem.

§. XXIII.

Ad vomitum disponit aër nimis calidus calorem & evolutionem particularum acrium promovendo & serum blandum, quod temperiem servare debebat, dissipando; frigidus nimis præsertim si humidus simul sit insensibilem transpirationem non solum cohibet, sed & humidum, quod continet, fibras corporis emollit, iisque adhærendo sese insinuat, seri stases & varias congectiones gignit & totam oeconomiam turbat; peregrinis particulis morbiferis repletus pro harum conditione se gerit.

§. XXIV.

Potus nimis spirituosus aërem in sanguinis massa contentum expandit, hinc vasa fiunt turgida, totus sanguinis circulus celerior & spirituum animalium motus

in toto corpore irregularis; (§. 5.) putridus & animalculorum ovulis refertus si fumatur, proportionato accedente calore & temperie hæc animalcula interdum extricantur & ventriculum arrodendo vomitum efficiunt cruentum, annotante FOREST. *Lib. 18. obs. 18.* & RIVER. *Cent. 4. obs. 26.* aquosus nimis copiose & calide usurpatus ventriculi fibras reddit debiliores & per vasa lactea facile transit ad sanguinem eumque primo reddit fluidiorem, deinde vero ob evolutionem particularum salino-sulphurearum calore majore proveniente serum blandum dissipatur, fæces indurantur, alvus fit stricta & fæcibus succedentibus intercluditur via. Cibi *δύσπεπτοι*, viscidi, duriores fumo indurati & flatus generantes digestionem lædunt, cruditates producunt, ventriculum intestina & viscera debilitant, glandulæ obstruuntur, præternaturaliter extenduntur & serum in illis subsistens fit acre. (§. 12. n. 2.) Oleosa nimis in ~~g~~ fauces non solum irritant, (§. 16.) sed & ductulos glandularum ventriculi excretorios obstruendo menstrui secretionem impediunt & liquidi nervei influxum augent.

§. XXV.

Corporis motus irregularis qualis est vorticofus & in non assuetis in navi institutus spirituum animalium motum in toto corpore reddit inordinatum, qui majori copia in ventriculum influentes ejus contractionem & vomitum causantur; vehementior si instituat motus, sanguinis circuitus fit auctior & ob seri dissipationem humores fiunt acres; deficiens si fit, transpiratio & aliæ excretiones imminuuntur, oritur plethora, humo-

humorum spissitudo, viscerum obstructio, scirrhi & variæ congestiones.

§. XXVI.

Somnus nimius producit lentorem, deficiens acrimoniam; hic transpirationem auget, ille imminuit, serum fit pituitosum, tartareum, fibræ debiliores, ut sanguinis & reliquorum humorum impulsui sufficienter resistere nequeant & omnia de motu deficiente (§. 25.) dicta hic majori gradu adsunt.

§. XXVII.

Graviora animi pathemata exagitantia humores in motum concitant & spiritus animales vitiose commovent. In ira imprimis paulo vehementiori in universo corpore quasi oritur spasmus, extremorum tremor & rigor, & bilis interdum magna copia in duodenum profluit, quæ si propellatur in ventriculi cavitatem, acrimonia sua eundem per nerveam tunicam irritat & ad contractionem stimulat.

§. XXVIII.

Contribuunt etiam ad vomitum excretiones solennes prohibitæ: Perspiratio insensibilis si non rite succedat, serum superfluum retinetur, in vasculis extremis subsistit, redditur acre, oboritur regurgitatio versus partes interiores & ventriculum ibique vasa extenduntur, extensa vero sese rursus contrahunt. Per urinam a calculo renibus vel ureteribus infixis vel alia causa sufflammatam particulæ crassiores tartareæ in corpore retentæ, quoniam difficulter per poros cutis transeunt, accumuluntur, stasin acquirunt & acres redduntur. Ex hæmorrhagia narium suppressa, lochiis retentis, mensi-

bus obstructis, & hæmorrhoidibus cœcis sanguinis circulus valde turbatur, in partibus debilioribus accumulatur & impulsu continuante viam sibi reddit patulam & ad eruptionem aptam; quodsi hoc modo sanguis in ventriculum prolabatur vomendo rejicitur conf-
 SCHENCK. *obs.* p. 328. HOCHSTETT. *Dec.* 2. *Cas.* 6.
 & MISCELL. NAT. CVR. *Decur.* 1. *obs.* 95. Hujusmodi vomitum per integros septem annos perdurantem annotat PANAROL. *Sect.* 1. *obs.* 22. in puella mensium suppressione laborante, quæ statim post cibum assumptum, usque dum menses fuerunt restituti, vomitum est perpessa.

§. XXIX.

Quodsi alvus a fæcibus induratis pertinaciter sit obstipata & neque clysmate, neque aliis illuc pertinentibus remediis ad officium reduci queat, contigit interdum, ut fæces mediante motu peristaltico inverso per superiora sibi exitum quærant & vomitu rejiciantur, id quod confirmat SPERLINGIVS *in Diss. de vomitu simplici, qui vidit ramentum plantæ crebrioribus vomitibus per os ejectum, quod mediante clystere minus ex aëre colato fuerat injectum.* Non minus talis in intestinis contentorum projectio per os observatur in ileo, hernia imprimis incarcerata, intestinorum subsidentia & spasmio vehemente, quæ interdum tam arcta deprehenduntur, ut nec stylum, multo minus ordinaria contenta admittere valeant.

§. XXX.

Vermes si in intestinorum canali hæreant, complicati non solum eundem obstruunt, sed & chyli nutri-

nutri-

nutritioni destinati magnam partem consumunt, reliquam excrementis suis conspurcant & acrioribus particulis commixtum dimittunt ad sanguinem, quem successu temporis totum reddunt acrem, partibus balsamicis blandis destituunt & seminio verminoso ad putredinem disponunt. Quando vero vermes per dulcia potissimum allecti ventriculum subeunt, eum arrodendo immanes cardialgias, convulsiones, continuas vomitiones cum delirio, jactatione corporis utplurimum lethales efficiunt. Quale exemplum non ita pridem in puella 7. annorum vidit D. PRÆSES, ex cujus ore brevi ante mortem tempore grandis magnitudine duorum digitorum vermis ejiciebatur.

§. XXXI.

Vomitus febribus continuis & intermittenti tertianæ supervenientes derivari possunt a bilis partim abundantia (§. 12. n. 1. §. 17. n. 1.) & nimia vasorum biliferorum laxitate, ut mirum interdum videatur, unde tanta bilis copia proveniat; partim ab acrimonia in toto corpore & cruditatibus in primis viis hærentibus, quæ ventriculum irritando & convellendo, biliosum humorem simul evehunt, annotante *Celeb. D. PRÆSIDE in notis ad Poterium Cent. 1. cap. 39.* Observatur etiam vomitus in variolis & morbillis, præsertim eo tempore quando secessum ex sanguine faciunt, si miasma ad ventriculum regurgitet ibique irritationem producat.

§. XXXII.

Cum epilepsia, colica acri & tussi vomitus conjunctus itidem dependet ab acrimonia in massa sanguinea hærente, quæ fibras nerveas ventriculi irritando
spiri-

spirituum animalium influxum auget & contractiones producit spasmodicas.

§. XXXIII.

Haud raro quoque in subjectis passione hysterica, scorbuto & malo hypochondriaco affectis vomitus per longum temporis intervallum affligentes animadvertuntur; ob pertinaces enim obstructiones, humorum circulus valde turbatur, subsistentes fiunt acres viscidi & acidi, ita, ut vomitus inde dependentes a *Celeb. D. PRÆSIDE* in annotationibus ad *Potèrium Cent. 2. cap. 93. instar aquæ fortis corrosivi sæpiuscule deprehensi sint, ut etiam limaturam martis in vitriolum verterint.*

§. XXXIV.

Si vomitus causa hæreat in ipso ventriculo inflammatione, exulceratione, abscessu vel scirrhis affecto, vel orificio ventriculi a deglutito nummo occluso & nihil transmittente, vel si ventriculus humores depravatos, rodentes contineat, appellatur idiopothicus; symptomaticus vero audit, si causa in aliis partibus remotioribus membranoso-nervosis quærenda est, qualem a capitis graviore contusione aut vulnere, intestinorum læsionibus, miserere mei, dolore iliaco, colico & nephritico, vel in apoplecticis a sanguine & sero in cavitate cranii stagnante provenientem animadvertimus.

§. XXXV.

Nomen quoque deducit vomitus ab ipsis vomitu rejectis: Sic vomitus dicitur biliosus, si bilis copia in ventriculo & duodeno subsistens rejiciatur; pituitosus a mucosis & viscidis cruditatibus, & pituita instar glutinis sæpe cohærente denominatur; quod si vero san-
guis

guis stagnans in vasis brevibus & aliis locis ruat in ventriculum & vomendo projiciatur, vomitus oritur cruentus; ab acidis humoribus producti vomitus, quod quartanariis & hypochondriacis familiare est, eodem designantur nomine.

§. XXXVI.

Vomitus non minus a colore nomen obtinet & existit niger a sanguine congrumato projecto; viridis ab acido cum bile permixto & materiam instar albuminis ovi albam observavit PANAROL. *Pentec. 1. obs. 22.* quæ in terram projecta temporis successu tartarea redita lateres corrodit.

§. XXXVII.

Criticus vocatur vomitus, quando causa materialis vomitum producens ipso vomitu eliminatur, qui valde salutaris est & interdum observatur in iracundis & cachecticis cholericis. Ventriculus enim duodenum, vasa hepatis biliaria, pancreas & intestinorum glandulæ crebrioribus & validioribus vomitibus a succis & humoribus vitiose ibidem collectis expurgantur, qui alias massam sanguineam ingredientibus varia inferre possent mala, quod vero a foras projectis timendum non est.

§. XXXVIII.

Quodsi vomitus per longum temporis spatium affligat Chronicus dicitur & per plures sæpe annos perdurat: Sic F. HILDANVS *Cent. 5. obs. 63.* vomitum semestrem; *Cent. 4. obs. 32.* vomitum triginta annorum refert & *Cel. D. PRÆSES* vomitus per plures annos

C

conti-

continuos annotavit in herniosis, in quibus ingens intesti-
norum portio in scrotum fuit prolapsa, quo factum est, ut
ingens materiæ quantitas non ex ventriculo solum sed &
ex intestinis per superiora projecta fuerit acidi saporis,
quæ & naturam ante 3. vel 4. dies ingestorum sapore &
odore præ se tulit, quod & confirmat H. AB HEER
els. 29. qui observavit in nobili quodam, quod pridia-
nas semper epulas rejecerit rententis recens ingestis.

§. XXXIX.

Periodicus vomitus statis & certis periodis, certa
nempe hora, die & anni tempore redit, vel post cibum
assumptum statim, vel digestionem jam peracta horis po-
meridianis quarta & quinta, vel statim post ingressum
lecti vel etiam tempore matutino cujus ratio non ine-
pte in depravata ventriculi digestionem & cruditatibus
inde dependentibus quæritur.

§. XL.

Haud difficulter quidem vomitus ipse, tam ratio-
ne materiæ excretæ (§. 35.) quam ratione coloris (§. 36.)
cognoscitur; ipso enim visu & ex ægri recensione per-
cipitur. Præcedunt ut plurimum nausea atque sputa-
tiones frequentiores cum tensis præcordiis inquietudi-
ne & anxietatibus; atque inferius labrum interdum tre-
morem sustinet. Causæ vero vomitum producentes
proximiores cognitu nonnunquam admodum diffici-
les sunt, cum tamen harum cognitio Medico semper
maxime sit necessaria, quoniam incognita causa raro
subsequitur ægri restitutio.

§. XLI.

§ XLI.

A calculo vomitum oriri conjicimus dolore in regione lumbari præfente cum urinæ fluxu imminuto vel plane ceflante. Si magna bilis copia per temporis intervalla rejicitur, de nimia vasorum biliferorum laxitate (§. 31.) cogitandum efl. Vomitus pituitofi cum dolore circa ventriculum gravativo cruditates in primis viis hærentes indicant. Sanguineus vomitus plethoram, sanguinis excretiones prohibitas (§. 28.) vel visceris cujusdam infarctum (§. 10.) interdum fupponit. Chronici vomitus maxime cachecticos notabili viscerum vel partium folidarum vitio laborantes moleflant, in quorum cadaveribus diffeclis vel ventriculi quædam pars, (§. 6. n. 3.) vel hepar, lien, pancreas (§. 9.) duodenum fcirrhofa deprehenduntur PLATERO teste *obf.* 32. qui in homine per mensem ante mortem perpetuo vomente diffeclto pylorum perdurum & fere cartilaginofum invenit cum pancreate fubjacente duro & fcirrhofo. Abdomine flatibus diftento junctis borborygmis, faciei pallore & fputatione frequentiori cum narium pruritu, vermium fufpicio adefl, de quibus præfentibus reddimur certiores, fi vomitu interdum & alvo rejiciantur. Læfiones externæ, ut capitis contufiones graviores, & ventriculi vulnera in promptu funt.

§ XLII.

Si cauffa fimul vomendo eliminetur & ægri inde levamen fentiant, id quod nonnunquam die critico in febribus vel etiam cruditatibus in ventriculo & duodeno hærentibus contingit, admodum falutare efl. Ne-

C 2

que

que vero solum materia vitiosa ex ventriculo solum & partibus ejus proximioribus, sed & observante *Cel. D. PRÆSIDE* ex maxime remotis, ut manibus & pedibus deducitur, ut hac ratione dolores podagrici, chi-ragrici & erysipelacei pedum ab exhibitis emeticis, non sine noxa retropulsa materia evanuerint. Frequens vomitus quoniam ventriculum debilitat & vires totius corporis inde franguntur, semper timorem incutit.

§. XLIII.

In hypochondriacis & hysteriis vomitus quidem proxime instans vitæ periculum non portendit, & nisi nimis urgeat per tempus aliquot perferri potest: quoniam vero viscera in abdomine contenta per constrictionem musculorum abdominis valde comprimuntur, (§. 3.) & humores in motum vehementiorem concitantur, horum obstructio, nisi tam levis sit, ut ab irruentibus humoribus referari possit, augetur, & sic malum capit incrementum, quod eo magis pertimescendum, si hæmorrhagiæ quædam sint suppressæ; quo facilio haud difficulter vomitus subsequi potest cruentus.

§. XLIV.

Certe non minus malum denotant graviores & frequentiores gravidarum vomitiones; præter enim mala (§. 43.) dicta, vasa in abdomine contenta vomendo non solum comprimuntur, sed etiam a foetu in utero majus spatium occupante permulta vascula arctiora redduntur, & a fluidis contentis distenduntur, quæ ac-
cedente

cedente vomitu paulo frequentiore & vehementi interdum dilacerantur & abortus præbent causam.

§. XLV.

Vomitus nigri, quoniam a sanguine dependent coagulato & corrupto mali ominis sunt, & eo peiores materia excreta malo odore prædita: atque observante **LOMMIO** *obs. Medicin. L. 2. p. 173.* febribus acutis supervenientes animi deliquium & subitanam perniciem inferunt, sanguis enim male olens putredinem designat, quæ cum massa sanguinis facile miscetur, eamque totam destruit & ad putrescentiam disponit.

§. XLVI.

Cruenti vero vomitus non semper deprehenduntur perniciosi, sed interdum plethoram solvunt & hisce mediantibus sanguis versus ventriculum redundans foras projicitur, quod affirmat in prægnante **SALMVTH.** *Cent. 2. obs. 54.* ex imminentibus mensibus **RHODIVS** *Cent. 2. obs. 64.* & ex suppressione mensium **HOECHSTETTER** *Dec. 2. Cas. 6.* Sanguine enim abundante evacuato reliquus liberiores circulum absolvit & functiones suas decenter peragere potest.

§. XLVII.

Transit etiam aliquando vomitus, si per tempus aliquot affligat & sero viscido corpus abundet, in *παράνοση*, quam a vomitu simplici & diuturniori & singulis diebus redeunte in dextro brachio observavit **SPERLING.** *in Diss. de vomitu simpl.* quod & **LOMMIVS** *l. c.* confirmat.

C 3

§. XLVIII

§. XLVIII.

Neque desunt exempla ventriculum a vomitu esse dilaceratum, id quod annotavit FRANCISC. SANCHEZ in *Lib. observationum in prax. p. 376.* exemplo fabri acicularii, qui vomendo velut corporis rumpentis crepitum in ventriculo sensit, qui etiam in mortuo dissecto *quatuor digitorum latitudine ab inferiori orificio abruptus observatus est, interiori tantum tunica, pollicis amplitudine.*

§. XLIX.

Curationem quod attinet, ea peropportune malo urgente absolvi poterit (1) motus spasmodico-convulsivos in ventriculo & partibus per consensum affectis leniendo & sistendo (2) Causas foventes, quantum fieri potest, removendo.

§. L.

Primæ indicationi satis fit per antispasmodica & sedativa temperatiora, quo spectant (1) ex opio parata, ut Extract. & Essent. ejus. Massa Pil. de cynoglos. de Styrac. Laudan. liquid. Sydenham. Electuar. diascord. Fracast. requies Nicol. Philom. Rom. Theriac. cœlest. & Androm. Extract & Essent. theriac. refracta dosi adhibita (2) Absorbentia qualia sunt lapid. cancror. lap. bezoard. orient. & occident. cornu cervi ust. & philosophice præparatum, corall. alb. & rubra, dens apri, hypopot. chelæ cancr. test. ovar. (3) Crocata & cinnabarina, ut ess. croc. cinnab. antimonii, nativa & factitia. (4) Aromata principio terreo & sulphureo prædita

dita

ditā & balsamica, ut Nux moschat. macis, cinamom. cardamom. costus verus, caryophyll. anthophyll. cort. citr. & aurant. & ex his parata olea & essentia. Rad. calam. aromat. zedoar. galang. Hb. absinth. majoran. ror. mar. meliss. menthæ, quæ cum oleo & aqua, tam spirituosā, quam simplici pro specifico habetur. (5) Aquæ spirituosæ cum vino paratæ ex floribus & nucleis sulphure anodyno & mitigante præditis, ut aqua Fl. til. lil. convall. chamomill. sambuc. meliss. nucl. ceras. perficor. & ex his paratæ potiones & emulsiones cum feminibus 4. frigidis majoribus papav. pœon. & amygd. dulcibus, quæ spicula salina irritantia involvunt & eorum actionem impediunt. (6) Præ ceteris (n. 1-5) dictis in enormibus vomitibus sistendis sese commendat Liquor anodynus mineralis D. PRÆSIDIS, qui vel solus, vel cum bals. vitæ ejusdem & aliquot guttulis olei puri menthæ vel macis usurpatus cito & egregie conducit. Spiritus quoque vitrioli & nitri dulcis rite præparati insignem operam conferunt & particulas sulphureas a quibus ut plurimum vomitus dependet, corrigunt.

§. LI.

Externe non sine fructu adhibentur (1) Lini-
menta & Unguenta ex balsamo peruv. oleo nucistæ,
macis, menth. absinth. anif. de cedro anth. paregorico
Wedelii. (2) Epithemata ex spiritu matricali theria-
cali, aqua regin. hungar. essentia croci & similibus. (3)
Cataplasmata ex fermento panifico, aceto destillato a-
cerrimo, spiritu vini, theriaca Androm. bals. peruvia-
no,

no, addito pulvere caryophyll. nucistæ, mastich. cardamom. cinamom. & aliis aromatibus cum guttulis aliquot olei menthæ, quæ linteo involuta toti regioni epigastricæ cum decenti calore applicata non parum levaminis afferunt. Possunt & (4) unguentis & epithematibus super imponi Sacculi ex Rad. galang. carlin. irid. florent. pœon. calam. aromat. Hb. organ. serpill. chamomill. chamædr. menth. Fl. anthos, lavendul. Sem. carvi Bacc. junip. laur. Hæc oleosa volatilia demulcent & fibrarum robur conservant. (5) Emplastrum de crusta panis malaxatum cum balsamo peruviano addita pauca quantitate olei menthæ, macis, nucistæ vel alius destillati.

§. LII.

Ad alteram indicationem (§. 49. n. 2.) absolvendam requiritur plenaria causarum cognitio, quas medicus probe inquireat necesse est, ut eo melius per comoda remedia malum vel plenarie tollat, vel, si hoc impossibile sit, mitigare tantum annitatur: Sic plenariam curationem respuunt tumores indurati scirrhusi in ventriculo, (§. 6.) pancreate (§. 9.) hepate ac liene (§. 10.) reperiundi. Quamobrem hujusmodi ægri tantum sunt sublevandi & mali incrementum impediendum, partes pituitosas, tartareas & acidas corrigendo per aperientia, diluentia thermas & acidulas atque absorbentia (§. 50. n. 2.) recensita. Situs ventriculi mutatus, herpes & steatoma (§. 6.) atque vesicula fellea disrupta (§. 8.) quia cognosci nequeunt, curationem non admittunt.

§. LIII.

§. LIII.

Ventriculi inflammationi ut plurimum febris junctæ succurrendum (1) plethora urgente, venæsectione (2) *σάσις* sanguinis expediendo per diaphoretica media & fixiora, Tincturas bezoardicas variorum, Essentiam alexipharmacam Stahl. mixturam simpl. spiritum nitri dulc. antimonium diaphoret. lapid. cancror. nitrum depurat. cinnabarin. cum pauxillo camphoræ. Externe applicando pulverem erysipelatodes vel Epithema ex spiritu matricali, aqua anhaltina & aliis. Quodsi vero suppuratio (§. 6.) subsequatur & pus per vomitum rejiciatur, ulcus blandis balsamicis abstergendum est.

§. LIV.

Flatus & fæces (§. 7.) si vomitus causam præbeant, proderunt Carminativa, viscidum resolventia & incidentia, qualia sunt Essentia carminativa Wedelii, pimpinell. cort. citr. & aurant. Tinctur. antimonii tartarifata; Rad. ari, tartarus vitriolatus, nitrosa, non omisis clysteribus emollientibus & resolventibus ex Rad. malv. alth. lilior. alb. Hb. 5. emollientibus chamomill. hyosc. Fl. melilot. verbasc. Sem. fœn. gr. lini addendo colaturæ olea emollientia & pro stimulo sal quoddam medium, quibus mediantibus fæces induratae emolliuntur & versus inferiora deducuntur.

§. LV.

Quodsi a nimis ingestis (§. 10.) & viscido abundante

D

dante

dante (§. 12. n. 2.) in primis viis hærente & inde dependente prava digestionem oriatur, convenit interdum lene emeticum propinare & vomitum vomitu curare, ut materia peccans breviori ejiciatur via, usurpando postea pituitam viscidam & cruditates adhuc remanentes incidentia (§. 14.) allegata atque Elixir. viscerale DNI. PRÆSIDIS, quod commode ad digestionem promovendam & ventriculum roborandum circa meridiem in usum vocatur.

§. LVI.

Vomitus biliosus (§. 12. n. 1.) vel qui iram subsequitur (§. 27.) exposcit acida temperata, ut spirit. nitri & vitriol. dulc. liquor. anodyn. mineral. DN. PRÆSIDIS, absorbentia & temperantia: Sin vero laxitas vasorum biliferorum (§. 31.) in culpa sit, conducunt medicamenta roborantia, ex quibus eminent Cortex chin. chacarill. & ex his paratæ Essentiæ & Extracta, Essent. gent. rubr. Tincturæ martiales, cum aliis permixta.

§. LVII.

Humores acidi [§. 12. n. 4.] & viscidi hypochondriacis familiares (§. 33. & 17. n. 4.) corriguntur (1) per Salia alcal. fixa & Extracta amara, ut absinth. C. B. cent. min. fumar. (2) Per Salia med. arcan. tartari, arcan. dupl. tart. vitriolat. Crem. & crystall. tartari. (3) Diluendo & resolvendo per Thermas & acidulas atque decocta & infusa aperientia ex Rad. trifol.

fol. fibr. cichor. helen. pimpinell. vincetrox. Hb. hep-
pat. nob. scord. scolopendr. C. B. chamædr. chamæpyt.
Flor. chamomill. Summ. cent. minor. fumar. absinth.
(4) Per aromatica & absorbentia [§. 50. n. 2. & 4.] de-
signata. Per hæc enim acidum in primis viis hærens
convertitur in sal medium. (5) alvum leniter per ἐπιχειρῶν
laxando cum infusis laxantibus ex Rhabarb. Fol. Senn.
Pil. balsam. Becher. tartareis Wed. & ad horum exem-
plum paratis similibus.

§. LVIII.

Cruentus vomitus sistitur sanguine abundante
præsentate per Venæsectionem, qua peracta distensio
vasorum imminuitur & sanguinis circulus liberior per-
agi potest: ab acri vero & rarefaciente sanguine de-
pendens corrigitur (1) per absorbentia [50. n. 2.] (2)
Sulphurea Cinnabarina, anodyna (§. 50. n. 1.) (3) Ni-
trofa. (4) Si hisce cedere nolit, vel urgente necessita-
te addenda sunt leniter adstringentia, ut Tincturæ mar-
tiales, pulv. stypt. Heurn. Wedel. Sang. dracon. Rad.
Bistort. Tormentillæ, quæ refracta dosi reliquis addita
insignem præstant opem, fibras roborant atque to-
num deperditum restituunt, continuando extra paro-
xysmum cum iis, quæ nimiam acrimoniam ulterius
corrigunt & eliminant, ut sunt blanda aperientia, diluen-
tia, & mitiora evacuantia ex rhabarbaro, quod & ro-
borante virtute gaudet, parata, cum quibus posito in-
tervallo repetitio institui potest.

D 2

§. LIX

§. LIX.

Quodsi de nummo pylorum obstruente (§. 13.) præsumptio sit, non incongruum fore existimo, tantam aquæ copiam assumere, ut ventriculus inde distendatur, quo facto fieri potest, ut in ejus cavitationem iterum dilabatur. Ab Hernia (§. 29.) si dependant vomitus, non nisi hæc restituta, & intestina in ordinatum situm sint redacta, remittit, quod per emollientia & alia huc spectantia remedia peragatur necesse est. Tussis ferina, convulsiva (§. 32.) si in culpa sit, sedantia (§. 50.) usui esse possunt. Vomitus in febrium paroxysmis (§. 31.) ut symptoma affligens cohibetur per aquas destillatas cum succo limonum vel citri & sale alcal. ita permixtas, ut sapor acidulus emineat.

§. LX.

Assumpta venena (§. 14.) imprimis acria optime corriguntur & eliminantur per pingua copiose assumpta ut oleum olivar. lac cum multo cremore imprægnatum, aquam cum butyro non salito largiter saturatam & similia, quæ (1) salium rodentium spicula obducunt, involvunt, eorum actionem impediunt, ventriculum defendunt, atque jam erosum demulcent. (2) quia larga quantitate assumuntur (§. 11.) & fauces tanquam oleosa irritant, ipsis cum venenis vomitu rejiciuntur.

§. LXI.

§. LXI.

Primis gestationis mensibus in gravidis vomitus ob humores versus ventriculum congestos oriri solent, qui sanguine abundante ex mensibus retentis peccante per Venæsectionem in pede institutam opportune cohibentur, externe regioni epigastricæ roborantia (§. 51.) applicando: Sin vero cachexia latitet serosa, incidentia, digestiva & aromatica cum decenti regimine propinata in usum cedere possunt.


§. LXII.

Vomitus a vermibus in ventriculo & intestinorum canali hærentibus (§. 24. & 30.) producti curantur (1) quoniam illi insignem habent transpirationem, præmisso purgante cum Mercurio dulci, eam per oleosa assumpta impediendo; ab his vermes obducti, partes quibus gaudent, acres difficulter dimittunt, quæ vero retentæ ipsorum fibras destrunt (2) per resolventia, aquam graminis, tanacetum cum Mercurio vivo decoctam, extracta amara (§. 57. n. 1.) cum dulcibus permixta ut vermes eo citius aggrediantur, quibus (3) haud inepte clysteres ex lacte solo subjunguntur, ut versus inferiora determinantur & per alvum excernantur.

§. LXIII.

Quod ad Diætam attinet, hanc ex causis non naturalibus (§. 23 -- 28.) adductis benevolo Lectori eruendam relinquo.

F I N I S.




CLARIS-

CLARISSIMO
CANDIDATO
PRÆSES.

R Equiris a me, CLARISSIME CANDIDATE, litteras commendatitias: Plura equidem possem de insigni Tuo discendi ardore, de innocuis moribus, de candido animo dicere, sed satis sit, ut id unicum confitear, Te genuinum esse hujus Dissertationis Autorem: quo ipso non levi brachio Te salutaris artis nostræ præcepta attigisse satis luculenter commonstras, utpote non quidem magno verborum apparatu, quo non morbi vincuntur, sed rerum copia & magno observationum numero & solidis argumentis ac rationibus ita Thema tractandum perfecisti, ut nihil, quod ad usum & experientiam, vel quod ad saniores theoriam pertinet, possit desiderari. Itaque Ego, cum Tuum ingenium probe perspectum habeam, quod non
ad

ad inanes & infructuosas speculationes, sed ad res
pensitandas aptum natumque sit, non possum, quin
multa præclara miseris ægrotantibus profutura a Tua
eruditione medica publico promittam. Nihil insu-
per restat, præterquam id, ut Tibi de egregiis pro-
fectibus & de honoribus propediem conferendis ex a-
nimo gratuler. Sicuti vero omnis doctrina, omnis
scientia, divina gratia & benedictione destituta, ste-
rilis & parum frugifera est: ita hanc ipsam omni-
bus Tuis laboribus & artis exercitiis futuris appre-
cor plenissimam; hanc si comitem habebis, nullam
fortunam, nullam hominum malevolentiam respice-
re debes, sed & citra fortunam & cum aliorum in-
vidia recte facies. Vale & res Tuas prospere
& feliciter age. Dabam e Museo
d. 7. Martii 1733.



Pathol. spec. Cap. 4. 7